Klosterneuburg, 2. Viertel 14. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=672
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



88

eam et ipsi credat. Ait illi mulier
dicit. Scio quia messias venit. qui dicitur christus. cum autem venerit
hic annuntiabit nobis omnia. Dicit ei iesus. Ego sum qui loquor tecum.
Et continuo venerunt discipuli eius. et mirabantur quia cum muliere loquebatur.
Nemo tamen dixit. quid quaeris. aut quid loquebaris cum ea.
Et dimisit mulier hydriam suam. et abiit in civitatem. et dicit
illis homines. Venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quaecumque feci.
Nonne hic est christus. Exierunt de civitate. et venerunt ad eum.
Interim rogabant eum discipuli dicentes. Rabbi manducabat.
At ille dixit eis. Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.
Dicebant ergo discipuli ad invicem. Nemo forsitan attulit ei manducare.
Dicit eis iesus. Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei. et
perficiam opus eius. Nonne vos dicitis. Adhuc quattuor menses sunt. et
messis venit. Ecce dico vobis. levate oculos vestros. et videte regiones
quia albae sunt iam ad messem. Et qui metit. mercedem accipit. et
congregat fructum in vitam aeternam. Ut et qui seminat simul gaudeat
et qui metit. In hoc enim est verbum verum. Quia alius est qui seminat.
et alius est qui metit. Ego misi vos metere quod non laborastis.
alii laborauerunt. et vos in labores eorum intrastis. Ex civitate autem illa
multi samaritanorum crediderunt in eum. Et rogabant eum
viri. ut maneret apud eos. Et mansit ibi duobus diebus. Et
multo plures crediderunt. Et dicebant mulieri. Quia iam non
propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audivimus. et scimus
quia hic est vere salvator mundi. Christus. Post duos autem dies
exivit inde. et abiit in galilaeam. Ipse enim iesus testimonium
perhibuit. quia prophetam in patria sua honorem non habet.
Cum venisset ergo galilaeam. exceperunt eum galilaei. cum omnia
quae fecerat hierosolimis in die festo. Et ipsi venerunt in diem festum.
Venit ergo iesus iterum in galilaeam. ubi fecerat aquam vinum.
Et erat quidam regulus cuius filius infirmabatur capernaum.
Hic cum audisset quia iesus adest a iudea in galilaeam. abiit ad eum.
Et rogabat eum ut descenderet. et sanaret filium eius. Incipiebat enim
mori. Dixit ergo iesus ad eum. Nisi signa et prodigia videritis non
credetis. Dicit ei regulus. Domine descende. antequam moriatur filius meus.
Dicit ei iesus. Vade. filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem
dixerat ei iesus. et ibat. Iam autem illo descendente servi occurrerunt
ei. et nuntiaverunt dicentes. Quia puer tuus vivit. Dixerunt ergo
illi. Quare melius habuerit. Dixerunt ergo ei quia heri hora
septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater quia illa hora
in qua dixit ei iesus. Filius tuus vivit. et credidit ipse et domus
eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit iesus cum venisset
a iudea in galilaeam. Post haec erat dies festus iudeorum.
et ascendit iesus hierosolimis. Est autem hierosolimis
piscina probatica. quae cognominatur hebraice bethsaida.
habens quinque porticus. In his iacebat multitudo magna
languidorum. caecorum. claudorum. aridorum. Erat autem
quidam homo. quadraginta et octo annis habens infirmitatem suam.
Hunc cum vidisset iesus iacentem. et cognovisset quia multum
iam tempus habet. dicit ei. Vis sanus fieri. Respondit
ei infirmus. Domine non habeo hominem. qui me mittat in
piscinam. cum autem venerit ego. alius ante descendit
me. Dicit ei iesus. Surge. tolle grabatum tuum. et ambula.
Et statim sanus factus est homo. et tulit grabatum suum.
et ambulabat. Erat autem sabbatum in illo die. Dixerunt
ergo iudei illi. Sabbatum est. non licet tibi tollere
grabatum tuum. Respondit eis. Qui me sanavit. ipse
mihi dixit. Tolle grabatum tuum. et ambula. Interrogaverunt
ergo eum. Quis est homo qui dixit tibi. Tolle grabatum
tuum. et ambula. Sanatus autem nesciebat quis esset.
Iesus enim declinavit a turba. Postea invenit eum iesus
in templo. et dixit ei. Ecce sanus factus es. Iam
noli peccare. ne quid tibi deterius contingat. Abiit
homo. et nuntiavit iudeis. Quia iesus est qui
fecit eum sanum. Et propterea persequebantur iesum
iudei. quia hoc faciebat in sabbato. Respondit
eis iesus. Pater meus usque modo operatur. et
ego operor. Propterea ergo magis quaerebant
iudei interficere eum. Non solum quia
solvebat sabbatum. sed et patrem suum dicebat
deum. aequalem se faciens deo. Respondit
ergo iesus. et dixit eis. Amen amen dico
vobis. Non potest filius a se facere quicquam.
nisi quod viderit patrem facere. Quae enim
ille fecerit. hoc et filius similiter facit.
Pater enim diligit filium. et omnia
demonstrat ei quae ipse facit. Et
maiora horum ostendet ei opera.
ut vos admiremini. Sicut enim
pater suscitat mortuos. et vivificat.
sic et filius quos vult vivificat.
Neque enim pater iudicat quemquam.
sed omne iudicium dedit filio.
ut omnes honorent filium sicut
honorant patrem. Qui non honorat
filium. non honorat patrem
qui misit eum. Amen amen dico
vobis. Quia qui verbum meum audit.
et credit mittenti me. habet
vitam aeternam. et in iudicium non
venit. sed transit a morte in
vitam. Amen amen dico vobis.
Quia venit hora. et nunc est.
quando mortui audient vocem filii
dei. et qui audierint. vivent.
Sicut enim pater habet vitam
in semetipso. sic dedit filio
habere vitam in semetipso.
Et potestatem dedit ei iudicium
facere. quia filius hominis est.
Nolite mirari hoc. quia venit
hora in qua omnes qui in